

Maturité gymnasiale**Session 2015**

EXAMEN DE L'OPTION SPECIFIQUE LATIN

Durée : 3 heures**Matériel autorisé** : dictionnaire latin-français Gaffiot abrégé, dictionnaire français Petit-Robert (mis à disposition par l'école) et manuel LATIN 3^e (exemplaire personnel de l'élève)
L'excès de vin pousse à la démesure

Dans cette lettre, Sénèque incite son ami Lucilius à réfléchir aux méfaits engendrés par l'ébriété.

- 1 Dic quam turpe sit plus sibi ingerere quam capiat et stomachi sui non nosse mensuram, quam multa ebrii faciant quibus sobrii erubescant, nihil aliud esse ebrietatem quam uoluntariam insaniam !
- Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum carissimum sibi ac fidelissimum inter
- 5 epulas transfodit et intellecto facinore mori uoluit, certe debuit. Omne uitium ebrietas et incendit et detegit, obstantem malis conatibus uerecundiam remouet. Ubi possedit animum nimia uis uini, quidquid mali latebat emergit. Crescit insolenti superbia, crudelitas saeuo, malignitas liuido; omne uitium laxatur et prodit. Adice illam
- 10 uertiginem capitis, tecta ipsa mobilia uelut aliquo turbine circumagente totam domum, stomachi tormenta, cum efferuescit merum ac uiscera ipsa distendit. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas: haec acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit, haec multorum annorum pertinaci bello defensa moenia patefecit, haec inuictos acie mero domuit.
- 15 M. Antonium, magnum uirum et ingenii nobilis, quae alia res perdidit et in externos mores ac uitia non Romana traiecit quam ebrietas nec minor uino Cleopatrae amor? Haec illum res hostem rei publicae, haec hostibus suis inparem reddidit; haec crudelem fecit, cum capita principum ciuitatis cenanti referrentur, cum inter apparatusissimas epulas luxusque regales ora ac manus proscriptorum recognosceret, cum uino grauis sitiret
- 20 tamen sanguinem. Intolerabile erat quod ebrius fiebat cum haec faceret: quanto intolerabilius quod haec in ipsa ebrietate faciebat! Fere uinolentiam crudelitas sequitur; uitiatum enim exasperaturque sanitas mentis.

Sen. *Luc.* 10, 83 (coupures)**Vocabulaire** : sur la feuille annexe